



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-191842-p0001-1

DFG







1702.

1. Hortius, Dr. Nicolai: Observations juri Germaniae  
in personam: Dr. Nicolai ist, hat der Räyss sein  
Recht verloren.

- 2<sup>o</sup> 2<sup>o</sup> Hortius, Dr. Nicolai: De matrimonio instaurato  
et conscientiae. 2 Sept. 1719. 1740

1703.

1. Hortius, Dr. Nicolai: Re factitate vulg. Ord.  
Pistorensis libertate ac exemptione a superiori-  
tate et a advocatis regionum in S. R. G. imperi  
dominorum.

2. Räyssius, Dr. Richard: De iusto, effectu legis-  
sive de effectu legis actionem in iuribus deducendi.

3. Weberus, Fridericus: Thematæ quædam selectiona

- 4<sup>o</sup> 5<sup>o</sup> Weberus, Fridericus: De herbariis S. R. imperii  
circulis. 3 Sept. 1703, 1717, 1744.

1704.

1. Von den Birgholz, Philippus Chortkamus: De  
praescriptione praehensionum illustrium
2. Lieckenstein, Johannes Simon Fane, ill. : De legi-  
tima parentum
3. Mollenbeccius, Barth. Ludovicus : De salario fabrorum  
et canitorum - - -
4. Valentinus, Michael Bernhardus : Proxim medici-  
næ infallibilis, cuius Disputationem De morbis  
embryonum . . . ventilacioni sistit.
5. Heborus, Joannes Emanuel : De canonica prælatorum  
ecclesie electione

1705

1. Hertius, Joannes Nicolaus : De ecclesiis filialis  
vulgo Filial-Kirchen.



1705

2. Hartius, Joh. Nicolaus: *De pasto ne praesertim  
erictis*
3. Hartius, Jo. Nicol: *Lobellus de regali mineralium,  
medorum et infinorum jure.*
4. Weberus, Imanuel: *De legibus divinae positionis  
universali bus*
5. Hildring, Iohs Christopherus: *De incongrua applica-  
tione juris Longobardici ad fera Germaniae.*





3272.

1703, 3

6

THEMATA  
quædam  
SELECTIORA.  
ex  
JURISPRUDENTIA  
UNIVERSALI,  
PRÆSIDE  
DN. IMMANUELE WEBERO,

Phil. & Jur. Doct. Prof. Publ.

*Publicè ventilanda*

proponet

D. VI. Septemb. 1703 CCIII.

Joh. Friederich Kayser / Giess.  
Jur. Stud.

---

GIESSÆ, Typis Henningi Müllerri.

Natalium dignitate non minus  
quām mentis indole  
<sup>verē</sup>  
*Generosis atque Præ-Nobilibus*  
**DOMINIS**  
**DN. PHILIPPO LUDOVICO**  
ab & ex HEES;  
**DN. JO. JACOBO LUEDECKE,**  
**DN. JOH. GOTTLIEB JACOBS;**  
Commilitonibus in Collegia  
*Jurisprudentiæ divinæ universalis,*  
*Amicis suis atq; Fautoribus*  
plutimum colendis,  
testandi amoris cultusque  
gratiâ,  
primitias hasce Academicas,  
cum voto prosperrimorum  
in virtutum stadio,  
quod egregie currunt,  
successuum,  
pia mente  
offert  
**RESPONDENS.**


## L. B. S.

**C**um in Collegio Jurisprudentia universalis adhuc nobis receptum sit,  
ut singulis hebdomadis nonnullas theses ex Puffendorffii de Officiis H.

C. libello depromtas intra privatos parietes ventilemus: Consultissimus Dominus Praeses autor mihi fuit, ut semestre hocce spaciū publica aliqua Dissertatiuncula finirem, & selectiora argumenta privatim proposita paucis in cathedra publica repeterem. Non displicuit id consilium, & facile me Ejus autoritate induci passus sum, ut presentia themata publici juris facerem, hacque ratione vires meas in publico aliquantum exercerem. Praefanda hac censui B. L. ut videas, qua me causa ad negotium hoc suscipiendum moverit, neque forte Tibi persuades, ex aliqua temeritate aut arrogantia me id facere, quod potius inter officia mihi duco, & ideo Te non improbaturum spero confidoque.

A 2

Th. I.



THEMA I.

Ad Praefat. de Of. &c. H. & C.

**A**bsque doctrina Juris Naturalis perfectus  
JCTus esse nequit.

**RATIO.** Quia (1) ultima Juris humani ferè omnis ratio  
in Jure Naturæ querenda ; (2) genuinæ interpretationis  
& applicationis media Jus Naturæ suppeditat. (3) Princi-  
piis id constat universalibus ; reliquum Jus non nisi par-  
ticularibus, unde omnes casus decidi non possunt, mini-  
mè omnium negotia Gentium.

**CONSENTIUNT.** Mevius, prefat. Nuclei J. N. & G. Ziegler,  
prefat. Notar. ad Grot. Dn. Thomas. Dissert. Proximal. ad  
Inst. Jurispr. div. s. 14. 15. Magnif. Dn. Hertijs noster  
Comment. de Jurispr. Universali Sect. 1. s. 8. Consultiss.  
Dn. Andr. Oeckel. in JCTorationali, pref. it. c. III. tb. 19.  
passim ; Et imò è recentioribus plurimi, imprimis, qui  
scriptis Jurisprudentiam Naturalem illustrarunt, ut Dn.  
Coccejus, Vitriarius, Felde, Henniges, Culpisius, Tes-  
mar, Beermann, Simon, Tulleken, Borgesius, &c.

**DISSENTIUNT** antiquiores ferè omnes, & qui vel ex solo  
Jure Romano perfectum JCTum exsculpere cupiunt.

THEMA II.

Jus Naturæ est distincta non solum à  
Theologia a) sed & philosophia morali b) di-  
sciplina.

**RATIO**

RATIO a) Quia differunt principio, forma, objecto & fine. *Principium cognoscendi Theologiam moralem est Revelatio; Jus Naturæ, Ratio. Forma Legis divinae revelatae consistit in obligatione ad foederis modum contractâ; sed Juris Naturæ præcepta obligant simpliciter ex LLatoris voluntate. Objectum Theologiae moralis sunt interna primariò, externa per consequentiam; viceversa se res habet in Jure Naturæ. Finis Theologiae moralis est æterna salus; Juris Nat. beatitudo civilis.* b) Quia (1) Philosophia moralis præcipue honestum in actionibus humanis considerat; Jus Naturæ verò justum (2) Illa rectitudinem internam & emendationem affectuum; hoc rectitudinem externam intendit, interna & affectuum emendationem supponit.

CONSENTIUNT omnes hodie, qui sobrie philosophari, & fines disciplinarum regere didicerunt. Confer Magnif. Dn. Hert. l.c. §.4.

DISSENTIUNT Scholastici & vulgo sic dicti Moralista (nisi fallor, Moralista) omnia sursum deorsum vertentes, & ex Theologia, Philosophia moralis, Jure Naturali & civili unum aliquod Chaos conficientes. Dissentient etiam, qui præcepta Decalogica pro ipso Jure Naturæ haberi volunt.

### THEMA III.

Citra Impietatem & pugnam licet in Disciplina Jur. N. aliqua supponere, quæ S. Scriptura in thesi aliter tradit.

RATIO, quia (1) abstrahentium, & præsupponentium non est negatio (2) quælibet disciplina juxta modum

A 3 cognoscendi

cognoscendi sibi convenientem agit, nec tamen una alteri verè contradicit.

**CONSENTIUNT** omnes, qui regulas veræ contradictionis intelligunt, & rectè applicant.

**DISSENTIUNT**, qui vel ex stupiditate vel dolo peccantes in Pufendorfio hoc ferre nolunt, quod conditio nem primi hominis ad caput rationis, non ad ductum verbi revelati formaverit. Vid. Pufendorf. Erid. Scand. Praefat. it. p. 20. p. 220. seqq. 258. 358. 372. 377. Ven. Lips. Pul. p. 11. 36. 44. 46. 52. 54.

#### THEMA IV.

Ea hominis quoad intellectum & voluntatem idoneitas est, ut, quæ naturaliter justa sunt, percipere, & ad ea se componere possit.

**RATIO** quia (1) aliàs homines socialiter non vivere (2) quibusvis suis delictis ignorantiam invincibilem obtendere, & ad rationes vocanti exceptionem impossibilitatis opponere possent; Imo (3) ne quidem pro autoribus suarum actionum essent habendi.

**CONSENTIUNT** omnes Philosophi pariter & Theologi, qui notitiam naturalem, & spontaneitatem in civilibus & naturalibus homini relinquunt.

**DISSENTIUNT**, qui noticias naturales negando, tabula rasa hominis mentem comparant; Item qui fato Stoico, siderum influxui & similibus externis principiis omnia adscribentes, voluntatis libertatem tollunt.

**DISSENTIUNT** etiam, qui facultates animæ humanæ, quas non habet in spiritualibus, confundunt cum iis,

quas

quas habere diximus in naturalibus, id quod, crasso admodum calumniandi artificio, fecerunt Pufendorfii adversarii in Indice novitatum art. XVI. sed ab eodem sufficienter depexi in Apolog. §. XXI. quæ habetur Erid. Scand. p. 37.

THEMA V.

Voluntatis potiores in actionibus humana- Ad L. I.  
nis sunt partes, quam Intellectus. cap. I.

RATIO quia (1) voluntas dirigit imperio practico (2) ipsæ Sacrae Literæ omnem ~~accidens~~ cordi i.e. voluntati acceptum referunt. (3) Sæpè & plerumque intellectus cognita judicio theoretico aliter non approbat, quam quatenus voluntati visum est & gratum.

CONSENTIUNT Dn. Thomasius, *Aufzübung der Sittenlehr* cap. I. §. 26. seq. & omnes illi Philosophi, qui vim directivam animæ facultatum theoreticam à practica probè secernunt.

DISSENTIUNT Doctrinæ philosophorum communes, Intellectum produce in actionibus humanis agnoscentes.

THEMA VI.

Hominis naturæ non convenit, ut vivat Ad c. II.  
exlex.

RATIO quia omnis homo (1) liberum habet arbitrium, nec ad uniformem agendi modum determinatus, (2) ad Legem & LLatorem cognoscendum idoneus, (3) actu Legislatori subiectus est, & (4) sine Lege finem, ad quem creatus, non esset obtenturus.

CON.

**CONSENTIUNT** omnes, quibus ratio pro duce est, ipse etiam Plato, licet sine Legibus civitatem esse posse statuerit, *de Republ. Dial. IV.*

**DISSENTIUNT** omnes in statu bestialitatis constituti, quales sunt Legum frena mordentes, in quocunque vivant statu & ordine.

THEMA VII.

Solas homo est Legum & obligationis capax.

**RATIO**, quia solus Legem intelligit, & ex eius præscripto agere tenetur.

**CONSENTIUNT** omnes, qui rerum moralium exactiorum habent notitiam.

**DISSENTIUNT** DD. Juris Romani, qui jus naturæ etiam in bruta cadere somniant, decepti definitione Ulpiani, *L. I. §. 3. ff. d. Just. & Jur. pr. J. de Jur. N. G. & Civ.*

THEMA IX.

Vis obligativa Legis omnis est à voluntate imperantis.

**RATIO** (1) quia imperans est hujus effectus adæquata causa, (2) citra hanc Jus, Lex, obligatio & officia non nisi inania futura essent vocabula.

**CONSENTIUNT** DD. & Philosophi communiter.

**DISSENTIUNT**, qui cum Grotio Juri Naturæ obligacionem tribuunt, posito DEUM non esse, vel non curare res mortalium; Haberkorn, qui vim obligativam in iure & æquitate constituit, *Relig. JCtor. p. 52.*

Th. IX.

46 39 ( 80

THEMA IX.

Optimè illi , qui socialitatem pro Juris naturæ fundamento agnoscent.

RATIO , quia hæc fundamentum est (1) proprium & verum , (2) adæquatum , (3) evidens , id quod latius Dn. Praes, *Dissert. de Lege naturali, ad Pufend. Offic. c. III. S. 8.9.* monstravit , ubi etiam consentientes & dissentientes pluribus adduxit.

THEMA X.

Principia Juris naturalis rectæ rationi attemperata esse debent a) ipse autem homo non nisi in corrupto statu considerari potest. b)

RATIO , a) quia ex pravis principiis non possunt non prævæ conclusiones emergere. b) Quia moralis medicina supponit moraliter ægrotum.

CONSENTIUNT , qui , cum Dn. Pufendorfio , in Juris prudentia Naturali hominem concipiunt juxta veram indolem , quâ prædictus hodiè deprehenditur.

DISSENTIUNT , qui cum D. Valent. Alberti hominem ut integrum supponunt , & ipsum Jus Nat. in perfectione Statûs integratatis vel formalî vel normali quærunt.

THEMA XI.

Jus naturæ est immutabile a) & indispensible. b)

B

RA-

**RATIO** a) quia finis ejus & fundamentum immutabile est, salus scil. societatis humanæ, quâ stante ne DEUS quidem jus illud mutare potest. b) quia nemini hominum circa divinas Leges dispensare licet.

**CONSENTIUNT** Dd. Juris Naturalis, imo Theologi nostrates & JCti communiter.

**DISSENTIUNT**, qui Pontifici dispensandi in divinis facultatem tribuunt; Dissentit etiam sibi ipsi non satis constans Mevius, qui dispensando, ait, DEUM posse indulgere, imo injungere, quæ aliæ naturaliter improba, *Nucl. Jur. N. & G. Inf. II. n. 38. §. 23.*

### THEMA XII.

Jus Naturæ ita tradendum est a) ut foro humano aptum sit, & per consequens b) directo non nisi circa formandas hominis exteriores actiones versatur.

**RATIO**, a) Quia (1) alias nullus ejus futurus esset in vita civili usus; quum tamen (2) juxta hoc etiam pronunciare debeant Judices humani.

b) Quia (1) interna ad divinum tribunal pertinent. (2) Judices humani non sunt scrutatores cordium (3) actiones hominis interiores formare vel Ethicæ est, vel disciplinæ sublimioris.

**CONSENTIUNT** omnes, qui Philosophiam & Theologiam moralem cum Jure Naturali non confundunt.

**DISSENTIUNT** Scholastici & fermento Scholasticorum infecti Theologi, JCti & Philosophi non pauci; Item, qui ex verbis Pufendorfii perpetam acceptis probare co-  
nantur,

nantur, Jus Naturæ internam mentis probitatem respuere, adversus quos disputat Erid. Scand. pag. 262.  
355. 371. 378.

### THEMA XIII.

Jus Naturæ & Gentium non specie, sed subjectis potissimum ab invicem differunt, adeò ut si spectetur Jus illud congenitum *in negotiis singulorum hominum*, dicatur Jus Naturæ hominum; *si in negotiis integrarum Gentium*, dicatur Jus Naturæ Gentium.

RATIO quia (1) utriusque juris est idem principium, scil. dictamen recte rationis, super socialitate reflexum, (2) eadem est vis obligandi, divina voluntas (3) sunt eadem præcepta, quæ dirigunt actiones hominum singulorum & Gentium, modo quod pro substrata materia aliquam variationem accipient.

CONSENTIUNT Hobbes de Cive c. XIV. n. 4. Bœcler. Inst. Polit. I. II. c. 3. Pufendorf. L. II. J. N. G. cap. 3. n. 23. Dn. Thomas Inst. Jurispr. div. L. I. cap. 2. §. 2. Magnif. Dn. Hertius, Jurisprud. Universal. Sect. I. §. 3. it. Dissert. de Lytro, Sect. I. §. 6. Conf. §. 11. Inst. de R. D.

DISSENTIUNT Dd. Juris Romani communiter, qui Jus Nat. & Gent. specie differre putant. Ipse etiam Grotius Jus Gentium voluntarium fingens, & qui vel cum eo sentiunt, vel cum tuentur, allegati à Dn. Præside dict. dissert. ad §. ult. p. 31.

## THEMA XIV.

Ad c. IV. Officia hominis erga DEUM a) saltim per indirectum ex socialitate demonstrati possunt, b) id quod sufficit.

RATIO a) quia sunt medium ad socialitatem summè & præcipue necessarium. Quicunque igitur obligat ad finem, ille etiam intelligitur obligasse ad medium summè & præcipue necessarium. b) Quia directa demonstratio officiorum erga DEUM ad Theologiam naturalem pertinet.

CONSENTIUNT, qui concedunt, usum Religionis secundarium esse, ut promoveat socialitatem. Nec non qui Theologiam naturalem distinctam à Jurisprudentia naturali disciplinam statuunt.

DISSENTIUNT, qui utrumque hoc negant, qui officia erga DEUM ex socialitate deduci nullo modo posse cum Velthemo clamitant. vid. Erid. Scand. p. 300. qui etiam in Jur. Nat. directò & per modum theses officia hæc tractanda putant, quod facit Goedhard. Borgesius, Enodat. J. Nat. c. II. p. 27. seqq. e. III. p. 67.

## THEMA XV.

Religio est ultimum & firmissimum societatis humanæ vinculum.

RATIO (1) quia religio & metus DEI animos civium omnium optimè continent. (2) Quia religio etiam futurum post hanc vitam tribunal inculcat, ubi occultè patratorum à quovis rationes reddendæ.

CON-

**CONSENTIUNT**, qui finem & usum Religionis, etiam Christianæ, duplē agnoscunt, ita sc. ut ad beatitudinem quoque civilem porrigitur, juxta confessionem Pauli 1. *Timoth. 2. v. 2.*

**DISSENTIUNT**, qui pro Machiavellico dogmate hoc habent, Autores Indicis Novitatum *Art. 1.* Frider. Gesenius, Zentgravius, alii, quibus responderet Pufendorfius in Eride Scand. p. 7. 84. 109. 326. 350.

#### THEMA XVI.

**Ut ritu externo DEus colatur, naturalis Lex non dicitat.**

**RATIO** (1) quia ritus sunt ex instituto hominum (2) DEus coli potest sine externo rito (3) ritibus DEum affici naturæ lex non dicitat.

**CONSENTIT** & propugnat Dn. Thomasius, *Jurispr. Div. L. II. c. 1. §. 7. seqq.* & in scriptis hac de causa contra Dn. Placcium editis.

**DISSENTIUNT**, qui cultum externum cum ritu confundunt, in specie Placcius, in scriptis adversas Dn. Thomasium.

**DISSENTIUNT** etiam, qui templa, sacrificia & similia, ad ritum spectantia apud omnes ferè Gentes recepta, à jure naturali profecta credunt, contra quos, quod sacrificium in specie attinet disputantem vid. Strimesium, *Praxiolog. apodict.* p. 134.

#### THEMA XVII.

Dantur a) officia hominis erga seipsum, *Ad c. V.*  
eaque b) ex socialitate probantur.

B 3

RATIO

RATIO a) quia (1) non à se ipso est, nec sibi vivit (2) habilis creatus ad maximas perfectiones sibi acquirendas; b) quia, nisi singuli ad socialitatem, tanquam finem communem se pararent, universi eam nunquam essent adepturi. Quatenus ergo cultura hominis, & conservatio est modus socialitatis obtainendæ, etenim etiam socialitas ea exigit.

CONSENTIUNT, quoad prius, omnes, qui ad officia circa seipsum observanda à DEO hominem obligari posse admittunt. Quoad posterius Dn. Thomasius l. c. L. I. c. 4. L. II. c. 2. & alii, qui socialitatem ex mente Pufendorfii recte capiunt & explicant.

DISSENTIUNT, qui vel omnino nulla statuunt hominis erga seipsum officia, decepti L. 22. pr. ff. d. Legat. III. vid. Dn. Thomas. L. I. c. 1. §. 76. vel ex socialitate tantum officia erga Socios derivari posse persuadentur. vid. Erid. pag. 300.

#### THEMA XIIX.

In extremæ necessitatis casu licet alteri res suas eripere.

RATIO quia (1) in casu extremæ necessitatis reviviscit communio primæva (2) jus exigendi ab altero imperfectum mutatur in perfectum.

CONSENTIUNT Grot. J. B. & P. L. II. c. 2. §. 6. seqq. Dn. Thomas. J. D. L. II. c. 2. §. 168. Dn. Jo. Frid. Heunisch. Disput. de moralitate ablationis rei alienæ, habit. Lips. 1683.

DISSENTIUNT Scholastici & Theologi ferè communiter,

•§ ) 15 ( §

ter; Commentatores Grotiani, Ziegler, Henniges, Felsen, Osiander &c.

### THEMA XIX.

Falsum est, quod vulgo dicitur, quod  
necessitas Lege careat.

RATIO, quia necessitas (1) dirigitur à Lege naturæ (2) locum facit juri extraordinario.

CONSENTIT Dn. Thomas. l.c. c. II. §. 123. seqq. ubi docet, nullum necessitatis casum evenire, qui non ex Legibus divinis dijudicari queat.

DISSENTIUNT vulgo omnes, qui nudè & crudè dicterium id accipientes, necessitatem simpliciter omnia Legum repagula convellere existimant.

### THEMA XX.

Vulnerare tantum mandans, & cædem Ad c. VI.  
prohibens, ubi data opera mandatarius mandati fines excesserit, de hoc excessu non tenetur.

RATIO, quia (1) delicta distinguit animus (2) non ex causa mandati, sed ex propria fraude mandatarius excessum committit.

CONSENTIUNT Harprecht. ad Inst. §. 8. ff. mandati, n. 18.  
Huber. Præl. & ad Inst. d. l. n. s. alii allegati ap. Carpzov.  
*Pr. Crim. p. 1. q. 4. §. 19.*

DISSENTIUNT Carpzov. l.c. §. 21. & plerique DD. civiles, decepti l. 15. ad L. Cornel. de Sicar. l. 38. §. 5. ff. de poen.

Th.XXI.

THEMA XXI.

Ad C.VII. Maxima illa , quæ inter homines ratio-  
ne ordinum & dignitatum existit, inæquali-  
tas non tamen tollit præceptum de agno-  
scenda colendaque naturali hominum æqua-  
litate.

RATIO quia (1) inæqualitas illa introducta est salva  
communione jurium humanitatis , juxta quam omnes  
omnino homines adhuc intelliguntur æquales (2) jura  
humanitatis nec eripi justè possunt , nec iis renunciare  
licet. Quare nullo facto vel pacto licet alicui eripi  
possunt.

CONSENTIUNT , qui summis in fastigiis constituti cæ-  
teros ut æque homines habendo eos amant , & humani-  
tatis jurium participes faciunt.

DISSENTIUNT , qui instituta humanitati adversa intro-  
ducunt , & ut licita defendunt , quale erat apud Roma-  
nos barbara servitus , quâ non civitatis solum , sed &  
ipsa humanitatis jura multis in capitibus miseris cri-  
pibantur.

THEMA XXII.

Ad C.IX. Actio ingrati non datur.

RATIO quia (1) ingratus peccat contrâ humanitatem  
dyntaxat , non contra jus perfectum (2) ad solam hanc  
actionem tribunalia non essent sufficiunt.

CONSENTIUNT Dd. communiter , qui injuriam  
simplicem à qualificata secernere sciunt.

DISSEN-

DISSENTIT Boeler. dissert. iii. annexa notis ad Grot. qui existimat, & posse & debere locum esse huic actioni in Rebus publicis.

THEMA XXIII.

Ex pactis etiam nudis vera datur obligatio. Ad c. IX.

RATIO quia (1) nihil tam congruum est fidei humanæ, quam ea, quæ inter nos placuerunt, servare l. i. ff. de pact.

CONSENTIUNT Grotius L. II. c. 11. §. 1. seqq. Pufendorf. J. N. & G. L. III. c. 5. §. 9. 10. 11. & Dd. qui assertum Juris Canon. c. 1. & 3. X. de pact. c. 34. X. de sentent. excommunicat. admittunt.

DISSENTIUNT jura Romana & Dd. Civiles, imprimis Francisc. Connarus, Comment. Juris Civil. L. V. cap. I. quem refutant. Grotius L. II. cap. 11. §. 1. & Pufendorf. L. III. c. 5. §. 9. seqq.

THEMA XXIV.

Pacta per se non obligant.

RATIO quia (1) ineuntur à paribus, vel quâ talibus (2) vim obligandi habent à voluntate superioris seu Legislatoris.

CONSENTIUNT, qui Jus Gentium voluntarium ex pactis constitutum adversus H. Grotium negant.

DISSENTIUNT, qui tale Jus pactis superstructum assertunt. It. qui pacta pro legibus habent, quæ in Jure Romano aliquando hoc nomine venire vident.

THEMA XXV.

Officia sermocinantium etiam pacto ni. Ad c. X.  
tuntur.

RATIO quia (1) verba valent non naturâ, sed ex hominum C imposi-

impositione (2) homines non tantum loqui, sed & tace-  
re, imo (3) aliter loqui, aliter sentire possunt.

**CONSENTIUNT**, qui facultatem loquendi ab ipso ser-  
mone secernunt, quorum hic ex pacto, illa à natura est.

**DISSENTIUNT**, qui officia sermocinantur non ad hy-  
pothetica, sed absoluta spectare putant. Item, qui  
officia absoluta in thesi cum talibus in hypothesi con-  
fundunt.

#### THEMA XXVI.

Tantum abest, omnem simulationem &  
dissimulationem esse illicitam, ut cæteris pari-  
bus eæ quandoque inter officia referantur.

**RATIO** quia (1) sèpè aliis directo sermone prodesse non  
possimus, imo potius noceremus, hinc simulandum,  
(2) aliis manifestare, quæscimus, prohibitum & illici-  
tum, hinc dissimulandum.

**CONSENTIUNT** omnes, qui inter falsiloquia & menda-  
cia, simulationes & dissimulationes noxias & innoxias  
distinguere sciunt.

**DISSENTIUNT**, qui ex imperitia rerum moralium  
utrumq; tanquam Pseudo-Politicis proprium rejiciunt.

#### THEMA XXVII.

Ad c. XI. Juramentum per vim extortum non  
obligat.

**RATIO** quia (1) coactio & metus omni obligationi ob-  
stant. (2) Juramentum non debet esse vinculum iniqli-  
tatis (3) actui illegitimo leges divinæ & humanæ validi-  
tatem haudquaquam concedunt.

**CONSENTIUNT** è Jctis plerique.

DISSEN-

**DISSENTIUNT** ex falsa hypothesi, quod DEO juratum sit , Grotius **L. II. cap. 13. §. 14. 15.** **L. III. 19. 5.** & ejus Commentatores, Ziegler, in not. ad d.l. Kulpisius, Colleg. Grotian. ad h. l. p. 74. Vcl decepti ex non recte intellecta doctrina Juris Civilis, quâadversus metu coactum, dolo inductum &c. si quid promiserit , datur actio §. 1. J. de Except. Potiores inter Dissentientes sunt Franzkius **L. II. resolut. 2. n. ii.** & Rauchbar. **L. II. qu. 4. n. 19.** sed iis responsum à Dn. D. Hertio, **Param. Jur. XXXI. §. 1.** Confer ejusd. *Comment. de Lytro, Sect. II. §. 24.*

### THEMA XXIX.

Oceanus vastus nec est, nec esse potest in dominio.

**RATIO**, quia (1) ejus custodia est impossibilis , (2) usus sufficit omnibus.

**CONSENTIUNT** Grot. **L. II. c. 2. §. 3. c. 3.** à §. 8. ad 16. & in Dissert. de Mari libero , aliquie allegati à Bœcler. not. ad Grot. d. l. p. 50.

**DISSENTIUNT**, qui argumentis ad proprietatem mari- um particularium demonstrandam idoneis decepti sunt. Selden. in *Mari clauso*. Joh. Strauchius, *dissert. de Imperio maris c. 2.* Hulder. Eyben, *Observ. ad Inst. disquis. VI. obf. 3.* Kulpis. Colleg. Grot. ad d.l. Grot. Exerc. **III. p. 28.** Felden in *Not. ad Grot. p. 125.*

### THEMA XXIX.

Testamenta non sunt inventum Juri Ci- Ad c. XII. vili proprium , sed æque ad Naturæ Jus spe- ctant.

C 2

RATIO

**RATIO**, quia (1) sunt modus transferendi dominia, quem recta ratio dicitat, & aliquando socialitas requirit (2) per testamentum etiam, qui iuri civili subjecti non sunt, invicem res suas transferre possunt, v.gr. regna matrimonialia. Grot. *L. I. c. 3. §. 12.*

**CONSENTIUNT** Grotius, *L. II. c. 6. §. 14.* ibique Bœcler. & Kulpis; Pufendorf. *J. N. & G. L. IV. c. 10. §. 4. 5.* Dn. Thomas. *J. Jurispr. Div. L. II. c. 10. §. 162. seqq.* confer Scheidevvin. ad *J. de Test. Ordinand. n. 12. seqq.*

**DISSENTIUNT**, qui decepti §. 6. *J. de Usu & habit.* aliisque civilis juris textibus, Testamentum ad jus civile, Juri Gentium naturali (ut §. 11. *J. de rerum divisi.* vocatur,) contradistinctum referunt. Item qui eo ipso, dum *specificam* aliquam formam à Legibus Civilibus Testamentum accipere vident, *genericam* ipsi à Jure Naturali omnino persuadentur; *rem cum rei modo* perperā confundentes.

### THEMA XXX.

**Usucapio est modus acquirendi Juris Naturalis & Gentium.**

**RATIO**, quia (1) recta ratio super socialitatem reflexa dicitat, dominia rerum non semper debere esse in incerto. (2) qui rei suæ longo tempore curam nullam habuit, rationis conjecturâ eam dereliquisse censetur.

**CONSENTIUNT** Dd. qui in Jure Gentium, non accepto promotoribus, præcipuam ejus rationem querunt.

**DISSENTIUNT** cum Petr. Gregor. Tholosan. *Syntagma Jur. L. XL. c. 2. n. 4. seqq.* Benjam. Leuber / Stapel. *Ung. n. 1129.* & alii, qui jus Romanum causam productricem omnium iurium somniantes, solius istius hoc inventum

§ ) 21 ( §  
ventum credant. Item qui ad causam finalē secundariam, coercitionem scilicet socordia subditorum, res suas justo diutius negligentium unicē & vel maximē respiciunt.

#### THEMA XXXI.

Etiā m. f. possessor ut impensas tam utiles, quam necessarias recuperet, naturaliter iustum est.

Ad c.  
XIII.

RATIO, quia æquius est, ut nemo cum alterius damno locupletetur.

CONSENTIUNT etiam ex Dd. Civilibus hodie aliqui, vid. Struv.

Jurispr. forens. L. II. Tit. 13. §. 8. L. II. Tit. 33. §. 10.

DISSENTIENTES vide ap. Treutler. Vol. 1. Disp. 14. §. 19.

#### THEMA XXXII.

Pretia rerum ab impositione hominum veniunt.

Ad c.  
XIV.

RATIO quia (1) à dominio & introductâ rerum proprietate habent originem (2) vel lege vel conventione constituantur.

CONSENTIUNT, qui in commerciis quoad precii determinatio nem non omnia incerta relinquunt, sed fundamenta officiorum hic observandorum monstrant, ut egregiè facit Boëclerus, Dissert. H. de mensurâ precii, subnex. Comment. ad Grot. p. 33. seqq. Thomasius, f. 7. D. L. II. c. 11.

DISSENTIUNT, qui precia rerum cum fundamentis preciositatis, & cum ipsa aptitudine, quam res habent, confundentes planè naturalia ea credunt; vel qui in iis exigendis nullum sibi modum servandum esse existimant.

#### THEMA XXXIII.

Pactorum & Contractuum discrimen est à Jure Civili Ad c. XV.

Rōmano.

RATIO. Romani videntes, sèpè ex in consulo impetu homines promittere, ut huic malo mederentur, nullam promissionem & obligationem validam esse volnerunt, nisi quæ vel Contractuum publice receptorum ad modum, vel Stipulationum formulis esset concepta. Ex pactis igitur nudis nulla ab initio dabatur obligatio. Sed quum negotiorum Civilium conditio tam angustos efficacium obligationum cancellos non commodè ferret, validitatem etiam pactis tribuendam esse perspicientes, successive non solum quasi

Contra-

C 3

*Contractibus sed & variis pactis, non quidem nudis (ne semel asserti puduisse videretur) sed adjectis, legitimis, & nescio quibus non aliis sua autoritas enata fuit; Nihilominus tamen semel receptum Contractuum & pactorum discriminem in Latina lingua constantes permanit.*

CONSENTIT Dn. Thomasius 7.7. D. L. II. c. 11. §. 58. seqq.

DISSENTIUNT vulgo Dd. qui in alia omnia abeunt, discrimina varia configunt. Deceptus hinc etiam ipse Pufendorfius perperam discriminem querit in objecto, rebus sc. & actionibus in commercium venientibus, tanquam contractuum propriis. Quasi vero non & pacta ipsa circa haec talia versarentur.

#### THEMA XXXIV.

Ut lex Commissaria pignori adjiciatur, naturali Juri & æquitati non repugnat.

RATIO, quia naturaliter justum est, remediis uti, quibus morosi Debtores coercentur, nec tamen iis noceatur.

CONSENTIUNT, qui in hoc argumento dispositiones Juris Civilis à J. Nat. secernunt.

DISSENTIUNT LL. Civiles, L. ult. C. de pact. pignor. L. 22. C. de usur. & Dd. communiter.

#### THEMA XXXV.

Usuræ licetè accipi possunt.

RATIO, quia æquum est, ut in partem lucri veniam, quod alter mea pecunia sibi facit.

CONSENTIUNT LL. & Dd. Civiles, vid. pluribus notata à Kulpis. Colleg. Grat. Exerc. VI. §. 5. Tesmar. Not. ad Grot. L. II. c. 12. §. 20.

Theologi etiam plerique tunc nobratus tunc alii, DISSENTIUNT è Theologis Belgis Cloppenburgus, & alii, Confer Gronovii, Schockii, Salmasii in hanc rem edita scripta.

#### THEMA XXXVI.

Delegatio, si à Creditorc pure acceptata, a) est modus solvendi obligationem Jure naturali, quo etiam b) consensus debitoris præcisè non requiritur.

RATIO a) quia hoc Jure sufficit sola partium circa solutionem obligationis conventio b) quia (1) id inventum est Juris Civilis, ut per hoc differat delegatio à cessione; Et (2) nihil interest debitoris, deleganti solvat, an delegantis creditoris.

CON-

Ad c.  
XVI.

CONSENTIUNT ad a) etiam Dd. Juris Civilis, apud Finckelthau<sup>f</sup>.  
Obf. XCI. ad b) qui subtilitates Juris Civilis in Naturali Gentium  
Jure non venandas esse norunt.

DISSENTIUNT ad a) qui putant: Anweisung seu keine Zahlung. vid.  
Finckelth. l. c. in rat. dubit. §. 1. Ad b) qui in hoc omnia ad dicta-  
turam Juris Romani metuntur, ac statim lapsos putant Interpretes  
Juris Nat. sicuti non convenientes suis labris laetucas inveniant.

THEMA XXXVII.

Quatenus officia hominis circa interpretationem si- Ad c.  
gnorum animi receptorum, & maximè sermonis spectan- XVII.  
tur, eatenus etiam recte de hoc argumento in doctrina Jur.  
Nat. agitur.

RATIO, quia ubi officia seu præstationes jure debitæ, ibi jus ; & ubi  
jus, ibi Jurisprudentia.

CONSENTIUNT, qui inter officia hominis reputant, ut is ita in-  
terpretetur dicta scriptaque sociorum, prout ea secundum officia  
sermocinantur comparata esse debeant ; & in dubiis ex circum-  
stantiis verum & genuinum signorum sensum manifestet.

DISSENTIUNT, qui (1) interpretationem in actu signato confide-  
ratam cum tali in actu exercito confundunt (2) ab officiis quæ re-  
gulas artis denotant, ad officia, quæ Juridica sunt, argumentantur.

THEMA XXXIX.

Regula de odiosis restringendis & favorabilibus exten-  
dendis caute adhibita, in Jurisprudentia naturali tolerari  
posse videtur.

RATIO (1) quia dantur in rebus humanis tūm favorabilia tūm odiosa  
simpliciter, intuitu nempe publici & singulorū simul talia ; sal-  
tim judicio rationis, si non perceptione sensuum. Illuc referimus  
pœnas; huc immoderatas usuras (2) quia etiam in actibus mixtis,  
i.e. unius respectu favorabilibus, alterius respectu odiosis, utra  
qualitas præponderet, in comparatione ad publicum evidens &  
moralis certitudo haberi potest.

CONSENTIUNT Dd. Communiter.

DISSENTIT Dn. Thomaf. Inst. Jurispr. Divin. Append. ad L.II.p.372.

TANTUM  
ad LIB. PRIMUM.



S. P.  
PRÆSES  
RESPONDENTI.

**A**ster es, Nobilissime Domine CÆSAR, quem hoc men-  
se in cathedram produco, studiorum quidem genere dis-  
parem, sed nec ardore & profectibus, nec morum probitate  
priori dissimilem. Lector sane & summâ voluptate perfundor,  
quoties inter Veneris Bachiq; tot mancipia, inter acolastorum,  
quibus etiam Musarum sedes infestantur, exempla servari  
aliquos conspicio, de quibus certior spes est, eos in Viros publi-  
cæ Rei aliquando utiles evasuros. Horum in numerum non  
possum non quin optimo jure Te referam, qui ingenij, quod  
egregium à natura contigit, felicitate non ad ocium, vel cor-  
ruptelas alias Te abripi patet; sed indefessò potius studiò ad  
metam honestè prefixam contendis. Perge ita, ut capisti,  
mentem utilibus quibusque doctrinis perficere, modestia, so-  
brietati, vitaque honestati studere, & de Te conce-  
ptam Tuorum Bonorumque multorum spem alere. Non deer-  
runt tamen raris virtutibus condigna præmia, sed Patronorum  
copiam, PRINCIPIS Clementiam, & quod præcipuum,  
überem Supremi NUMINIS gratiam Tibi ex proprio tuo  
meoque voto conciliabunt. Scribebam Gieſſe, die V.

Septembr. A. R. S. MDCCIII.








**ULB Halle**  
005 372 02X

3





B.I.G.



Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

53272

1703, 3  
6

THEMATA  
quædam  
SELECTIORA.  
ex  
JURISPRUDENTIA  
UNIVERSALI,  
PRAESIDE  
DN. IMMANUELE WEBERO,  
Phil. & Jur. Doct. Prof. Publ.  
Publicè ventilanda  
proponet  
D. VI. Septemb. CIO CCIIII.  
Joh. Friederich Rayser / Gieß.  
Jur. Stud.  
GIESSÆ, Typis Henningi Müllerri.